

LVNÆ DIE 15 M. DECEMBRIS A. 2003

A.d. XVIII Kal. Ianuarias a. MMIV

II7

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



INÆSTIMABILIS LIBERTAS

Hac æstate multum actum est in Belgicis diariis de « nimia libertate » qua parentes fruuntur in schola pro liberis eligenda. Belgica re vera videtur esse sola civitas Europæa, ubi parentes hac in re tota libertate fruuntur ; hæc enim inscripta est in Regni Constitutione. Quæ libertas tam naturalis iustaque mihi semper visa est, ut me misereret civium aliarum civitatum, qui coercionem scholarem plus minusve paterentur. ¶ Hæc disputatio orta est post relationes ab O.C.D.E. et Unicef divulgatas, quibus status discipulorum in Europæis civitatibus inter se comparantur. Ex his apparet maximas inæqualitates inter discipulos inveniri in Belgica, quod statim ab aliquibus visum est intolerabile. Æqualitas contra satis bona est in Islandia, Finnia et Hispania. ¶ Generaliter diffidendum est rationibus statisticis, quæ rerum mancam imaginem præbent. In re nostra prima quæstio, quæ in mentem venit, est hæc : discipuli qui in Belgica infimum gradum occupant suntne minus eruditi quam infimi aliarum civitatum ? In relationibus supra dictis huic quæstioni nullum datur responsum. Hoc tamen est magni momenti ; nam, si, ut opinor, infimi Belgarum discipulorum non minus eruditi sunt quam infimi ceterarum civitatum, hoc significat optimos discipulos in Belgica magis eruditos esse quam optimos civitatum ubi viget æqualitas. Inter infimos certe non numerandi sunt extranei immigrati, quibus propter linguam et mores maiores sunt difficultates ; nam multi vivunt in Belgica, cum vix numerentur in Islandia, Finnia et Hispania. ¶ Scripsi « magis eruditos », quod iam redolet « eclectismum », ut aiunt, qui vehementer vituperatur ab hodiernis opinionionis ducibus. Hic occurrimus dogmatismo politico, quo primus locus datur ideali æqualitati, neglecta doctrinæ cura. Dogmatismus re vera est morbus recurrens ; ab uno vix liberati ab alio statim opprimimur ! ¶ Tres sunt civitates, in quibus maximæ differentiæ inter discipulos reperiuntur, Belgica, Magnus Ducatus Luxemburgensis et Germania. Harum differentiarum tres inventæ sunt causæ. Prima est quod primaria institutio pecunia caret. Secunda est quod discipuli in ordines separatos mature dividuntur, i.e. a duodecimo anno in Belgica et a decimo in Germania ; contra hoc solum fit a quinto decimo anno in Francogallia et a sexto decimo anno in Scandinavia. Tertia causa est libera electio scholæ ; notandum est senas decimas scholarum partes in Belgica esse privatas. ¶ Examinandæ sunt hæc tres causæ. Dolendum est quod institutio primaria, quæ certe est maximi momenti, pecunia caret, sed hoc pendet a regimine quod æs publicum suo arbitrio distribuit. ¶ Secunda et tertia causa acriter impugnantur ab

eis qui « scholam democraticam » instituere cupiunt. Quid sibi volunt isti ? Hoc, ut omnes pueri ad eundem gradum scientiæ et eruditionis perveniant ! Nemo vero, nisi somniator, hoc fieri posse censet. Natura enim dona sua non æquabiliter distribuit atque societas humana numquam et nusquam fuit æqua. Inter pueros sunt intelligentiores et minus intelligentes, in studiis adsidui et distracti, sunt pauperiores, quibus institutio videtur esse via ad maiorem prosperitatem, et locupletiores, qui putant institutionem sibi vix necessariam esse. Tanta est discipulorum heterogeneitas ut, si institutionem frugiferam esse volumus, necesse sit eos in complures ordines distribuere diversis indolibus aptos. ¶ Cum loquor de institutione « frugifera », cogito de scientia a discipulis acquisita ; « fructus » iidem non erunt in diversis ordinibus. Selectio eorum, qui ordini maxime intellectuali apti sunt, mature fiat oportet, nam quævis materia quo maturius discitur eo melius memoria tenetur. Regiminis est curare, ut nullus puer causis ethnicis vel pecuniariis impediatur ne ordinem, cui sit aptus, frequentet ; hæc est democratia non utopica. ¶ Quid de libera scholæ electione ? Vix quisquam hodie negat monopolium in omnibus rebus pessimos effectus habere ; cur institutio esset exceptio ? Nolumus oblivisci parentum iuris naturalis esse liberos suos educare ; sola regimina tyrannica parentes hoc iure orbant, cum velint hominum mentes iam a puero conformare ad ideologiam suam. Schola nihil aliud est nisi parentum vicarius ; efficere ergo debet ea, quæ ipsi parentes facere non possunt ; itaque oportet parentes, quibus curæ est liberorum educatio, scholam eligere possint quam ducunt optimam. Æmulatio inter scholas qualitati institutionis prodest, ut fit in ceteris rebus. Monopolio contra homines inexpectata pati coguntur atque imperium cuiusdam anonymæ hydræ subeunt. ¶ Res mira, hodierni regentes « eclectismum » opprimunt solum in campo intellectuali ; nam cum agitur de rebus athleticis, exempli gratia, omnis opera datur ut optimi seligantur et provehantur. Societas humana sine electissimis hominibus non exstat ; eorum tamen qualitas valde differre potest ; in hac re, exculi sine dubio præferendi sunt inculti. ❧

Gaius LICOPPE

DE ITINERE EVROPÆO IOANNIS GVILELMI COMITIS PALATINI IVVENIS DEQVE STATIONE EIVS VINDOBONENSI A. 1676

– scripsit Norbertus Thiel –

Honorati auditores, venerabiles auditrices! Referam de itinere, quod dicitur iter academicum (Francogallice « tour des chevaliers »), de itinere vel peregrinatione plus quam biennali, quam fecit Ioannes Guilelmus, iuvenis sedecim annorum, ab anno 1674^o usque ad annum 1677^{mm}. Tales peregrinationes iuvenes id est filii nobilium et eruditorum facere consueverunt, ut scientiam et hominum et terrarum peregrinationum cognoscerent, ut studia humaniora perficerent, ut relationes inter familias regias vel principum visitationibus artius necterent.

Liceat mihi primum aliquid dicere de illo Ioanne Guilelmo eiusque propinquis. Ioannes Guilelmus natus est Dusseldorpii [Düsseldorf] die 19^{mo} m. Aprilis anno 1658^{mo} (+ 1716). Fuit filius Philippi Guilelmi (1615-1690), comitis Palatini ad Rhenum e domo Neoburgica [Pfalz-Neuburg], principis electoris, et Elisabethæ Amaliæ (1635-1709), filiæ Georgii II, landgravii Hassiæ Darmstadiensis [Hessen, linea Darmstadt]. Pater confessionis Romanæ catholicæ fuit, mater eius initio fidem protestanticam professa est, sed postea fidem catholicam accepit. Coniugibus novem filii et octo filiæ fuerunt. Propter relationes familiæ matrimoniales dicere licet familiam Ioannis Guilelmi fuisse vere Europæam. Sequentia id demonstrabunt.

Ioannes Guilelmus primo matrimonio iunctus erat cum Maria Anna Josepha (1654-1689), archiducissa Austriæ, filia Ferdinandi III, imperatoris Romani. Illa defuncta uxorem secundam duxit Mariam Annam Ludovicam Medicæam (1667-1748), filiam Cosimi III e domo Medicorum (Italice de Medici), grandis ducis Etruriæ. Eleonoram Magdalenam Theresiam (1655-1720), sororem Ioannis Guilelmi natu maximam, Leopoldus I, imperator Romanorum e domo Habsburgica, tertiam uxorem duxit. Ipsa imperatrix Romana promulgata et die 19^{mo} m. Ianuarii anno 1690^{mo} coronata est una cum Iosepho (I) filio, qui eodem tempore rex Romanorum electus est. Maria Sophia Elisabeth (1666-1699), altera soror, nupsit Petro II, regi Portugalliæ. Maria Anna (1667-1740), tertia soror, matrimonialiter coniuncta est cum Carolo II, regi Hispaniæ. Dorothea Sophia (1670-1748), quarta soror, primum Eduardo II nupsit, comiti Parmæ, tum Francisco, illi quoque comiti Parmæ. Quinta soror, Hedwigis Elisabetha (1673-1722), uxor facta est Jacobi Ludovici Sobieski, filii Ioannis III Sobieski, regis Poloniæ, qui anno 1683^{io} devicit Turcas prope Vindobonam [Wien]. Primus frater eius, Carolus Philippus (1661-1742), et decessor eius, secundam uxorem duxit Theresiam (1685-1712), filiam Iosephi Caroli Lubomirski, viri nobilis Polonicæ nationis. Secundus frater, Philippus Guilelmus (1668-1693), uxorem duxit

Annam Mariam Franciscam, filiam Iulii Francisci, comitis Saxonie Lauenburgensis [Sachsen, linea Lauenburg]. Fridericus Guilelmus (1665-1685), frater tertius, dux belli Cæsareus, in obsessione Mogontiaci sive Moguntiae [Mainz] iuvenis cecidit. Wolfgangus Georgius Fridericus frater (1659-1683) throno episcopali Wratislaviensi [Breslau/Wrocław] destinatus erat et iam electus, sed antequam iura episcopalia exsequi posset, subito mortuus est. Decessor eius fuit alius frater, Franciscus Ludovicus (1664-1732). Ille non solum episcopus Wratislaviensis factus est, sed etiam episcopus Wormatiensis [Worms], archiepiscopus Moguntinus et Trevirensis [Trier], præpositus Ellvacensis [Ellwangen], magnus magister equestris ordinis Teutonici et postea etiam princeps elector. Fuit unus e splendidissimis principibus barocæ ætatis, ipse autem vitam parcissimam et frugalem egit. Ipse aquam coctam bibit, ut naratur, sed hospitibus suis vinum optimum Malvasium Italum infundendum curavit. Multas et splendidas ecclesias in Silesia et in Palatinatu Rheni ab exercitibus Francogallicis vastato ædificari vel restaurari iussit. Ecclesiæ metropolitanæ Wratislaviensi sacellum, quod dicitur capella electoris (Theodisce Kurfürstenkapelle, Polonice kaplica elektorska), adiecit atque magnificententer exornari iussit. In quo ossa eius sepulta sunt. In epitaphio æneo merita et plurimi tituli eius – inter eos etiam titulus ducis Iuliaci [Jülich] – enumerati sunt.

Etiam duo alii fratres dignitate episcopali decorati sunt : Ludovicus Antonius (1660-1694) episcopus Wormatiensis factus est et Alexander Sigismundus (1663-1737) episcopus Augustæ Vindelicorum sive Augustanus Vindelicorum [Augsburg]. Leopoldina (* 1679), soror natu minima, nisi ætate quattuordecim annorum obisset, uxor Maximiliani II Emanuelis, principis electoris Baviaræ [Bayern], facta esset. Iam ei desponsa erat. Duæ aliæ sorores infantes obierunt, Ioannes filius die postquam natus est (anno 1675^o), iam vita decessit. Audivistis familiam Ioannis Guilelmi principis electoris familiam vere Europæam fuisse. In tali familia splendida Ioannes Guilelmus vitam egit præcipue politicam et artas relationes habuit ad multas aulas familiarum nobilium in multis partibus Europæ. Ei cum fratribus et sororibus commercium litterarum fuit. Litteræ aut in lingua Theodisca aut in lingua Francogallica scriptæ sunt. Nonnullæ in archivo sive tabulario sive grammatophylacio publico Dusseldorpiensi sive Dusselano asservantur.

Ioannes Guilelmus iuvenis pius, etiam postea vir pius fuit. Totam per vitam mane et vespere in suo conclavi genibus nixus preces assuetas dixit. Plus quam triginta psalmos e memoria Latine recitavit. Cottidie

sanctæ missæ aderat neque passus est quemquam servorum inter liturgiam cum conservo fabulari. Quodam die honorem alicuius sententia temere dicta læsit. Hoc peccatum vespere ante Natalitia Christi ante ecclesiam aulicam præsentibus monachis et abbate confessus est et humiliter remissionem peccati petivit. Tanta vis erat pænitendi.

Magnum gregem infantium optime erudiri maximæ curæ parentum ducalium erat. Educationi filiorum et filiarum ducis præfuit Hermannus Arnoldus liber baro de Wachtendonck, vir plane eruditus. Patres Societatis Jesu id est Iesuitæ vitam et mores puerorum et puellarum illustrium familiæ Palatino-Neoburgicæ formaverunt. Per tres annos P. Theodorus Rhay pædagogus aulæ Dusseldorpiensis et Neoburgicæ fuit. Ille librum didacticum universalem scripsit eundemque in lingua Latina ad informandos principes et principissas. Illa lingua uti potuit, nam omnes principes et principissæ Latine optime sciverunt. Ille liber inscriptus est « Secunda mundano-spiritualis arca Noæ plena mercium doctarum » (Coloniæ Agrippinæ 1665). Sed etiam speculum quod dicitur principum melius et clarius cogitari non potest.

Quid Ioannes Guilelmus iuvenis didicit? Non solum scientias historiæ, litterarum, philosophiæ adeptus est, sed etiam Latine, Francogallice, Italice et Hispanice scivit. Linguam Latinam tam bene scivit, ut multis annis post textus Latinos nomismatum, quibus ministros fideles honoravit, ipse formaret. Princeps hereditarius etiam equitando, saltando, armis utendo inter æquales præcallebat.

Postquam P. Theodorus Rhay SJ anno 1666^o director gymnasii Iesuitarum Iuliacensis factus est, P. Adamus Pinelli SJ in aula Dusselana informator principum factus est et octo annis post P. Joannes Pakenius SJ (* 8. 2. 1626 in vico Boslar prope Linnichium [Linnich], + 4. 10. 1681 Dusseldorpii), theologiæ licentiatus. Pater eius Ioannes Paken fuit scabinus vel burgimagister oppidi Linnicensis. P. Joannes Pakenius e collegio Iesuitarum Trevirensi ad aulam Dusselanam vocatus est.

Ibi statim iter academicum sive peregrinationem biennale principis hereditarii præparavit. Ordines ducatum pecuniam illius itineris munificentissime præbuerunt: Palatinatus Rheni Neoburgicus decem milia florenorum, ducatus Iuliacensis octo milia, ducatus Montensis sive Bergensis novem milia dederunt. Maxima cum cura comitantes principem electi sunt ab Hermanno libero barone a Wachtendonck, qui fuit præfectus domini Ravensteinii. Antea legatus apud regem Sueciæ fuit et quia multa itinera fecerat, etiam multas linguas scivit et ad hoc iter faciendum et regen-



Ioannes Guilelmus (1658-1716), comes Palatinus Rheni, S.R.I. archidapifer, elector et S.R.I. vicarius sculps. Jos. à Montalegre, Norimbergæ 1720 (Collectio Thiel, Jülich)

dum præcipue aptus fuit. Ceteri comitantes seniores fuerunt Henricus Theobaldus liber baro de Goltstein et Philippus Christophorus liber baro de Nesselroth, unus præfectus erat ducatus Iuliacensis, alter ducatus Montensis. Ambo pluries legationibus præfuerunt ad aulam Cæsaream Vindobonensem et ad aulam regiam Parisinam, et ideo ambo in legationum obeundarum disciplina et doctrina optime versati erant. Sed principem iuvenem non solum viri, ut ita dicam, probati comitati sunt, sed etiam quattuor æquales iidemque liberi barones. Dr med. Franciscus Preiß, medicus Neoburgicus, curam sanitatis itinerantium habuit, Philippus Ferdinandus Yrsch, consiliarius Palatino-Neoburgicus, ærarius res pecuniarias administravit. Decem administri gregi nobilium additi sunt.

Non inter minimos comitantium numerandus est P. Joannes Pakenius, confessor principis iuvenis. Ei debemus descriptionem Latinam DCVIII paginarum illius itineris dedicatam serenissimæ principi Mariæ Annæ natæ archiducissæ Austriæ, ducissæ Burgundiæ [Bourgogne], Brabantiæ, Styriæ [Steiermark], Carinthiæ [Kärnten], etc., primæ uxori Joannis Guilelmi. Ille liber intitulatus est « Hercules Prodicus seu Carolus, Juliæ, Cliviæ ac Montium princeps, in Joanne Wilhelmo, comite Palatino Rheni, nepote post sæculum redivivus. Coloniæ Agrippinæ typis Petri Alstorff anno 1679 ». Hercules Prodicus est Hercules in trivio, quia Prodicus Ceus, ex insula Ceo oriundus, sophista Græcus, æqualis Socratis, inventor illius fabulæ Herculeæ notissimæ putabatur. Et Carolus (Fridericus) (1555-1575) memoratus est princeps Iuliacensis heredita-

rius, qui morbo horrido iuvenis Romæ obiit, filius Guilelmi v (1516-1592), ducis Iuliacensis. Sepultus est Carolus Fridericus in ecclesia sanctæ Mariæ Animarum (Italice Santa Maria dell'Anima), in Romæ ecclesia nationali Germanorum, Austrorum, Hungarorum. Ille Carolus ergo ex linea materna fuit proavunculus id est frater proaviæ Ioannis Guilelmi. Hæc hactenus ! – Nunc denique veniam ad illud iter memoria et memoratu dignissimum.

In arce Bensberga [Bensberg] prope Coloniam [Köln] die 18^{mo} m. Novembris anno 1674^{to} post sanctam missam socii itineris Ioannis Guilelmi iuramentum fidei iuraverunt. Duobus diebus post grex profectus est. Prima statio itineris erat Dusseldorpium, urbs principalis ducatus Montensis [Berg]. Ibi iuvenis illustris cum parentibus et cum tota familia ducali die tertio m. Decembris diem onomasticum sancti Francisci Xaverii celebravit. Tum osculis datis et acceptis Ioannes Guilelmus familiaribus valedixit. Cursum rexerunt in Rhenaniam inferiorem et in ducatum Geldriam [Geldern]. Xantis [Xanten] venerati sunt reliquias sancti Victoris, primicerii et martyris legionis Thebææ, sociorumque martyrum. In monasterio propinquo Arbore Mariana [Marienbaum, nunc suburbium Xantarum] sub regula sanctæ Brigidæ, viduæ Suecorum principis, erecto pernoctaverunt hospites. Packenius scribit de hac statione itineris : lauta cena, lectus mollis, frugale ientaculum, officiosissima sanctæ domus obsequia id est maximam reverentiam præbuerunt monachæ principi iuveni hereditario. Cliviæ [Kleve], in urbe principali ducatus Clivensis, Fridericus et Ludovicus de Hohenzollern, filii Magni qui dicitur Electoris Brandenburgici, gregem itinerantem et præcipue cognatum et cœvum Ioannem Guilelmum suavissime exceperunt. In arce Germanseel, in confinio ducatus Geldriæ, iterum noctaverunt, in domu avita familiarum liberorum baronum de Wachtendonck.

Stationes proximæ fuerunt urbes Nederlandicæ : Noviomagus [Nijmegen] – Arnhemium [Arnhem] – Harlemum [Haarlem] – Leida [Leiden]. Arnhemium collibus, silvis, pratis circumdatum moram præstitit iucundissimam. Leidæ et universitatem florentissimam et bibliothecam copiosissimam princeps iuvenis valde admiratus est. Navis a statibus generalibus Nederlandicæ magnificentissime exornata gregem nobilem excepit tubarum sonitu et vocibus hominum claris sonantibus.

Pro navigatione ventuosa Haga Comitum [s-Gravenhage] Antwerpiam [Anvers/Antwerpen] princeps iuvenis pius verba e psalmo quadragesimo quinto sibi assumpsit 'Dominus virtutum nobiscum'.

Urbem Antwerpiam cum pulchro portu visitave-

runt. Packenius etiam Ergasterium vel potius Colasterium id est carcerem urbanum 'Dat Haspelhauf' describit, in quo incarcerati fame, virgis, loris ad serram, rotam, malleum et cottidiana insani laboris pensa coguntur. Packenius etiam memorat Eromonium 'Dat Spinhauf' divisum in duas classes, quarum altera exercet prostitutas lenas ad colum et ad scuticam sive flagellum, altera ebrias, litigiosas et a viris profugas ad sobriam et concordem disciplinam. Sequitur descriptio Gerontotrophii, Pantapolii divitis præcipue ab exquisitissimis Indiarum mercibus et aromatis, Bursæ mercatoricæ sive Bancæ, quæ erat ut nunc Novo-Eboracensis [New York] aut Londiniensis [London] aut Tokiensis [Tokyo] tum temporis omnis per reliquam Europam monetæ aut custos aut index. Iter perrexerunt divite Antwerpia per Lovanium [Louvain/Leuven] sapiens, grande Gandavum [Gand/Gent], Brugas [Bruges/Brugge] antiquas Bruxellas [Bruxelles/Brussel] nobiles. In capite Brabanticæ Ioannem Guilelmum salutavit nobilissima iuventus ducatus Iuliacensis, quæ ibi versabatur cum linguæ Gallicæ, tum palæstræ equestris studio. Hippodromus Bruxellensis vidit principem Palatinum iuvenem expertum et agilem in equis gyrandis, incitandis, insistendis et in omnes passus ac gyros flectendis. Cœvi nobiles Iuliacenses gaudium suum magna voce palam profitebantur.

Die 20^{mo} m. Ianuarii anno 1675^{to} grex itinerantium advenit in suburbium Sancti Germani [St Germain-des-Prés]. A rege Francogalliæ Ludovico XIV 'rege solis' nuncupato comiter exceptus est iuvenis illustris. Omnibus aliis exclusis rex Franciæ cum principe hereditario Neoburgico locutus est eique promisit oppidum et ducatum Iuliacensem in futurum omnibus contributionibus liberum esse debere. Valedicens rex, ut benevolentiam suam omnibus inspectantibus demonstraret, hospiti illustri gladium pretii multorum milium thalorum dono dedit. In aula regia inter cenas lautissimas etiam saltationes fuerunt. Omnes artem saltandi Ioannis Guilelmi admirati sunt. Ille spectacula comica et tragica in theatro aulico acta admiratus est. Comes Palatinus et Delphinus [le Dauphin] id est filius regis Franciæ in silvis circumiacentibus venabantur. ❧

(continuabitur)

I. Versio retractata et completa orationis, quam habuit auctor die 8^o m. Augusti a. 2003 inter XI. Internationale Seminarium Vindobonense II (4.-11. 8. 2003) a L.V.P.A. et Fundatione MELISSA « De Austria Latina, Austria Romana » in monasterio Sanctæ Crucis [Heiligenkreuz] factum.

DE METHODO ØRBERGIANA

- scripsit Stephanus Rocca -

In præterito fasciculo 115 (die 18 m. Augusti a. 2003) horum commentariorum qui *Melissa* inscribuntur, symbolam Franciscæ Deraedt (« Lingua Latina in Museo Erasmi per se illustrata », p. 1) curavi ut libentissime legerem. Et ipse unus¹ ex eorum grege sum qui libris Johannis Ørberg² utitur in Latine docendo. Magistri litterarum Latinarum munere enim fungor in Lyceo Genuensi (apud litora septentrionalia Italica) quod ad scientiales artes pertinet et quod appellatur *Liceo Scientifico statale Leonardo da Vinci*. De innumeris rebus quæ mihi maximi momenti videntur nos certiores fecit domina illa et ad eius sententias probandas pretium operis est pauca de condicionibus in quibus ipse cotidie versor addere. Methodo Ørbergiana usus ex imis enim rationes necnon mores artis docendi renovavi innumeras ob causas inter quas id primum locum obtinet, quod legibus quæ ad grammaticam pertinent non imbuuntur discipuli a posteriori, sicut in methodo tralaticia quæ dicitur accidit, sed a priori. Quæ rerum commutatio iure dici potest Copernicana conversio. Aliis verbis pergam dicere : discipulos, non sicut in veteri methodo docendi Germanica (quæ appellatur *Formal-Bildung*) Latine docemus, ut rationem quamlibet in quæstiones disserendas acquirant, sed ut in intima pedetemptim secreta Latinitatis incumbant. Id facere possumus methodum Ørbergianam secuti, quod discipuli, usque a gymnasio, scriptores qui optima Latinitate usi sunt legant et sibi rectos circuitus verborum acquirant, præsertim cum leges quæ mente solum intelleguntur numquam discant, sed, in intima pedetemptim secreta Latinitatis ingredientes, litterarum antiquarum animos percipiant.

Duo sunt enim volumina in quibus curriculum studiorum disperitur. A capite sexto et quadragesimo usque ad caput sextum et quinquagesimum alterius voluminis, quod *Roma æterna* inscribitur, discipulis ingenium est classicorum omnium scriptorum legendorum. In volumine primo, quod inscribitur *Familia Romana*, sicut optime F. Deraedt scripsit, res faciliores videntur, sed aptissimæ tamen ad morphologiam, quæ dicitur, perceptam habendam. In volumine altero, autem, textus qui ad ætatem classicam, quæ dicitur, pertinent, sine difficultatibus leguntur, vel potius maximo studio. In istam Latinitatem vivam adipiscendam duæ sunt tantum, mea sententia, asperitates. Primum quod attinet ad res grammaticas quæ dicuntur : magistrum oportet discipulis instare ut omnes declinationes et coniugationes memoria diligentissime discant. Deinde quod attinet ad curriculum studiorum : nullo modo id fieri potest, ut pueri, inceptis biennio studiis secundum methodum tralaticiam, se

triennio dent, duce magistro, ad methodum Ørbergianam. Non est enim quæstio quæ attinet ad praxin tantum didacticam. Methodo Ørbergiana adhibita enim satis bene discipuli Latinam linguam callere possunt ut modos scribendi acquirant. Iuvenes discunt, si animos eorum nos allicere possumus. Lectio mea numquam ex cathedra, ut ita didactice dicam, est : primum, partem capituli lego ; deinde locos difficiliore, alio circuitu verborum vel synonymis usus, aperio ; deinde quæro e discipulis quid intellexerint et vario modo me duce exercemus. Quibus rebus confectis, ad textum capituli redimus et iterum legimus ut ad alias partes transeamus. Sæpe nos alias in exercitationes incumbimus : summaria, paragraphos manu conficiendos, synonyma inveniendae et cetera.

Alia quæstio ad editiones³ per se illustratas instruendas pertinet. Ørberg ipse, ut nobis sane constat, volumina curavit Plautinum, Sallustianum et Petronianum, sed id non satis est. Oportet nos magistros qui in ludis docemus in promptu habere indicem quandam scriptorum et poetarum, qui ad ætatem classicam, quæ dicitur, attinent. Quo confecto, mihi utile videtur editiones istas parare scriptorum qui et ad Mediævalem ætatem pertinent et præsertim ad renatas litteras artesque. ❀

1. Cfr., quæso, quæ scripsi in symbola quæ inscribitur « De Latinitate adnotatiuncula » apud commentarios q.t. *Vox Latina* 2003 152, pp. 278-281. Quæ symbola iterum edetur, nonnullis mendis typographicis omissis (desunt enim lineæ), in proximo fasciculo. Curo situm interretialem, qui speculum se præbet sodalitatibus quæ appellatur *LatinitasViva* cuius sum ipse moderator et invenitur apud hanc inscriptionem cursualem:


<http://space.tin.it/scuola/strocc/index.html>. Ad *LatinitatemVivam* subscribendam epistolam vacuum mitte ad LatinitasViva-subscribe@yahoo.com Ad sodalitatem relinquendam autem mitte epistolam alteram vacuum ad LatinitasViva-unsubscribe@yahoo.com

2. Hans H. Ørberg, *Lingua Latina per se illustrata*, nova editio retractata et aucta, Hauniæ MCMXC. Editionem principem, quæ dici potest, voluminum quæ curavit Hans H. Ørberg invenire possumus apud paginam domesticam professoris illius doctissimi <http://users.cybercity.dk/~bbe6711/>. Editio in usum Italarum invenitur apud : <http://www.vivariumnovum.it/>

3. Academia Montellensis curat ut libri Ørbergiani in usum Italarum edantur. Cuius in indicibus domus editoria tria tantum volumina extant : Plauti *Amphitryo* (a. 1998) ; Sallusti *de Catilinæ coniuratione* (a. 2000) ; Petronii *Cena Trimalchionis* (a. 2000). Anno autem 2003 editura est Academia hæc volumina : Cæsaris *Inter tela volantia* (*Ex Cæsaris commentariis de bello Gallico*) ; Horatii *Carmina et sermones* ; Apostolus *gentium* (*Pauli Tarsensis itineraria*) ; Taciti *De origine et situ Germanorum*.

CAMBOSIA (IV)

- narrata ab Alexandro Vanautgaerden -



¶ Mihi in urbe versanti Museum Nationale mox factum est altera domus. Quod autem ædificium, ut mos est meus, obambulans non statim intravi, sed nonnullos dies e coloniali thermopolio, in quod omnis nationis diurnarii olim congregari solebant, imprimis observavi.

¶ Frigidula gustans ananasæ frustula in via empta tandem aliquando penetravi monumentum, quod mihi videbatur esse tamquam musei Guimet parens. Ædificium magnifice constructum erat circa hortum in quo Angkorensis « Regis leprosi » statua nuda – unica exceptio – erat posita.

¶ Quadratas ædes celeriter percurro, nesciens quo consistam, adeo mirabilia succedunt mirabilibus. Lustratio fuit Americana, cursim facta, tamquam muta pellicula raptim evoluta, fuit odore thuris, quod a mulieribus offerebatur ut tacitis sacrificarem deis, inebrians.





¶ Nimis multa illic erant admiranda, quam ut omnia complecterer. Itaque in hortum me recepi, ut respirarem, ut mihi conscius fierem me nullo modo somniare. Ibidem Iapo lustrator somniculo se beate dabat, photographis instrumentis munitus ornatusque plastico monili, quo testificabatur eum vectigal unius dollarii solvisse ad imagines domum reportandas.

¶ Pristinus Angkoræ rector, qui me in itinere parando adiuverat, suaserat ut Bertrandum Porte visitarem, Francogallum monumentis reficiendis in museo præpositum. Qua ratione eum vobis sine imagine describere possum? Virum excogitate, cuius pulchri oculi nigri discrepent a clausis oculis statuarum a se refectarum, cuius corpus totum plenum sit vivacitate hominum, quibus aridet felicitas. Ille sibi paulatim assumpsit statuarum benignum risum. Anno 1996 huc venit, duos annos mansurus, ut magnam exhibitionem de Khmeris anno 1997 Parisiis in Magno Palatio habendam præpararet, postea autem non valuit se a Cambosia eiusque incolis avertere.

¶ Eius officina referta erat operum fragmentis; ea parvus refectorum grex curabat, quos ipse instituerat quosque asseverabat nunc suo auxilio non iam egere. Hic locus, etsi pulvis strepitusque urbis perpetuo regnabat, æternitatem redolebat mirum in modum. Antiqui operarii videbantur ibi munus resumere post somnum aliquot sæculorum. In medio ridicule stabat falsa statua, quam sollempniter reddiderat quædam occidentalis legatio conscientia excruciatâ.



¶ Eo relicto, pransum ii apud reatricem cuiusdam Instituti extranei ; quamquam sicco anni tempore calor erat magnus, sub banana ab ipsa, ut aiebat, sata inexpectate comedimus gallinam Indicam castaneis fartam. Semper iucundum est cultum civilem sic reperire, quamquam hæc horribilis bestia stomacho fuit gravis. Exoticam delectationem augebant duæ venustæ Iaponides, quæ habitu suo aliquam videbantur artis hodiernæ inaugurationem participare. Domus erat pulchra. Mihi subito visus sum reliquisse Cambosiam – aeroplano non sumpto.



FLOSCVLI ERASMI (II)

– quos proponit Alexander Vanautgaerden –

Inter *Opera Omnia* Desiderii Erasmi, quæ Amstelodami in lucem pedetemptim eduntur, *Paraphrases* mox divulgandas curat Irina Backus, quæ Genavæ operam dat in Instituto Reformationis. *Paraphrases* in Evangelium secundum Matthæum et Iohannem eduntur a Iohanne Francisco Cottier professore in studiorum universitate Nicæensi, qui hoc anno Latinitatem mediævalem Monte Regali docet.

Mihi aliquando contigerat, ut librum legens c.t. *Apologia aduersus articulos per monachos quosdam in Hispanijs, exhibitos: ab autore recognita & aucta* anno 1529 Basileæ apud Froben publicatum invenirem attractivum textum, cui titulus est hic: *Loca quædam in aliquot Erasmi lucubrationibus per ipsum emendata*. Cui textui inest epistula lectori destinata atque a P.S. Allen divulgata (Epistola 2095 t. VIII p. 323 (recte 223) -227), in qua Erasmus narrat se in somnio angelum vidisse sibi paradisum ostentantem. Se inde mortem propinquam sensisse, expergefatum esse, rationem conclusisse somnii: statim ad mensam scriptoriam consedissee nonnullaque emendavisse e suis operibus – agitur de *Epistulis Sancti Hieronymi*, de *Annotationibus in Novum Testamentum* et de *Paraphrasibus*. Hæc « errata » tradidi amico meo Iohanni Francisco Cottier, qui mecum parat Francogallicam translationem proemii *Paraphrasis in Matthæum* apud editorem Brepols publicandam.

Cum autem in bibliotheca universitatis Leodiensis nuper laborarem, in fine cuiusdam libri controversiarum contra Francogallum theologum Natalem Beda fortuito incidi in novam Erasmi epistulam ad lectorem scriptam (non divulgatam a P.S. Allen), quam sequuntur tres paginæ emendationum ad *Paraphrasin in Matthæum* pertinentium. Placuit hunc textum ab oblivione vindicare; liber, e quo excerptus est, iuxta titulum præbet hoc facetum poema: *Supputationes errorum in censuris Natalis Bedæ per Erasmum Roterodamum, cum alijs quorum catalogum reperies uersa pagina*. [signum typographicum + annus: M. D. XXVII.]

Iambi.

*Errata Erasmi parua magnis literis
Modo Beda censor prodidit.
Errata Bedæ magna paruis literis
Vicissim Erasmus prodidit.*

Opus mense Martio a. 1527 impressum est a Iohanne Froben. Epistula invenitur hoc loco: f. [242 r°-243 v°].

Erasmus Roterodamus pio lectori, S. D.

Officium quod amici præstare debuerant, aliqua ex parte præstiterunt inimici, quorum iniquitas mihi ipsi quoque Paraphraseon opus reddidit aliquanto commendatius. Quum enim perspiciam tam malicioso calumniandi studio non alios lapsus potuisse deprehendi, satis feliciter in eo labore mihi videor esse versatus. Et ad calumnias arbitror me satis respondisse, nisi si quis sit eiusmodi, vt sibi nolit satisfieri, aspidis exemplo aures suas obturans ad vocem incantantis sapienter. Cæterum quæ typographorum, aut amanuensium, aut mei denique calami lapsu comissa sunt, hic subnotabimus, quo procliuè sit, qui velit, hinc suum emendare codicem. [spatium] In paraphrasi in Matthæum. [spatium] In maiore volumine. [sequuntur errata]

Erasmus, cum scribit « In maiore volumine », alludit ad paraphrasis editionem [1524] forma « in-folio » editam. Basileensis enim editor, quo plures lectores alliceret, nonnumquam simul et editionem in-8° et in-folio parabat. Quod pertinet ad *Paraphrasin in Matthæum*, Iohannes Franciscus Cottier putat Frobenium imprimis editionem principem [1522] in-folio incohavisse, deinde in-octavo.

ERASMVVS ROTERODAMVVS

pio lectori, S. D.

Officium quod amici prestare debuerant, aliqua ex parte præstiterunt inimici, quorum iniquitas mihi ipsi quoque Paraphraseon opus reddidit aliquanto commendatius. Quum enim perspiciam tam malicioso calumniandi studio non alios lapsus potuisse deprehendi, satis feliciter in eo labore mihi videor esse versatus. Et ad calumnias arbitror me satis respondisse, nisi si quis sit eiusmodi, ut sibi nolit satisfieri, aspidis exemplo aures suas obturans ad vocem incantantis sapienter. Ceterum quæ typographorum, aut amanuensium, aut mei denique calami lapsu comissa sunt, hic subnotabimus, quo procliuè sit, qui velit, hinc suum emendare codicem.

IN PARAPHRASI IN MATTHÆUM.

In maiore volumine,
Cap. 2. pag. 13. uer. à fine 11. pro Hierosolymæ circumcisis est. le. Hierosolymæ exhibitus est ac purificatus.
Cap. 3. pag. 16. uer. 11. lege asperitatem pro difficultatem.
Cap. 5. pag. 30. uer. 8. lege, qui et pascit passerculos et uestit lilia.
Cap. 7. pag. 55. uer. à fine 8. le. immittitibus fructibus.
Cap. 9. circa initium pag. 64. lege, in ciuitatem suam nimirum Capernaum.
Eodem pag. 65. uersu 24. lege, sed horum liuor non in aliud profecit, nisi quod Christi, etc.

Cap.

Cap. 10. pag. 72. uer. 13. lege, *Vna cum Iuda Iaco-
bi fratre, aut quod rectius est, tantum, Iuda Iacobi.*
Eodem, pag. 79. uersu à fine nono, lege, *Dotes quibus
nos instruo, &c.*
Cap. 11. pag. 81. uer. 8. lege, *quàm quod à uerbis.*
Eodem, pag. 82. uer. 12. le. de proximo digito &c.
Cap. 12. pag. 91. uer. à fine 17. lege non punit nisi.
Cap. 16. pag. 113. uer. 19. Pro singulari more, quidam
deprauarant, singulari amore.
Cap. 17. pag. 118. uer. ultimo le. omnino non mori.
Cap. 18. pag. 125. uersu 8. lege, *Quod nisi quisq; fra-
tri suo remisit.*
Cap. 19. pag. 126. uersu 15. lege, & alteram dixerit,
*ut adulterium committit ipse, ita uxori præbet aduul-
terij causam.*
Eodem, pag. 129. uer. à fi. 10. le. Petri quàm pro re.
Ibidem. uer. à fine 5. lege, *dabiturq; pro daturq;.*
Cap. 20. pa. 131. uer. 12. pro tertiam, lege, *undecimam,*
urgente iam die.
Cap. 22. pag. 141. uer. 12. lege. *moxq; inuit undiq;
uocandus ad Euangelium gentes.*
Eodem. pag. 142. uer. 18. lege, *minus fauentè religioni*
Eodem. pag. 143. uer. 8. le. non sunt. *(diuina.)*
Cap. 27. pag. 173. uer. 16. le. *Zebedæi, cumq; his alle*
Ibidem uer. à fi. 16. lege, *Sedentes è re/ (cõplures*
gione sepulchri, & annotantes locum ubi recõderent
*corpus, quo suo tempore præstarent officium unctio-
nis,*

& harum uigilantè scdultatem in hoc excitat;
dominus, quo certior esset resurrectionis fides. Postri-
die uero, &c.
Marci cap. 4. pag. 52. uersu 8. pro, *qui uitæ liberales*
sunt, lege, qui uere liberales sunt.
Lucæ cap. 1. pag. 16. uer. à fine 5. pro *predicaret lege*
prediceret.
Eod. pa. 17. uer. à fine 15. lege, *corporalibus cõstabat.*
Eod. pag. 26. uer. à fine 18. lege, *omniū spiritualium.*
Eod. pag. 31. uer. à fine 7. lege, *perueniunt.*
Cap. 2. pa. 38. uer. 3. le. *quum adesset dies à partu qua-*
dragesimus, quo lex, &c.
Eod. pag. 47. uer. à fine 14. Pro eo quod erat, reuersi.
Bethleem ubi natus erat puer, lege *Reuersi sunt Na-*
zareth, ubi conceptus erat puer.
Cap. 6. pag. 92. uer. à fine 5. lege, *Iacobi frater aut Iu-*
das Iacobi.
Cap. 24. pag. 260. uers. à fine 18. pro eo quod erat,
inter hos erat Thomas, lege, *In hac sententiâ erat Tho-*
mas, qui negarat se, &c.
Ioannis 1. pag. 33. uers. à fine 6. Nathanaël professus
est que post Petrus. Nam in quibusdam codicibus de-
prauate habebatur Philippus pro Nathanaël.
In epist. ad Rom. cap. 9. pa. 44. uer. à fi. 11. lege com-
miseror, unde colligitur quod non sit uolentis &c.
Hic locus in initio nescio quo casu deprauatus, diu mo-
tor sit.

In epistolam primam ad Corinth. cap. 15. pag. 138. uer-
su 11. lege, *deinde conspectus est discipulis omnibus.*
In epistolam ad Philippenses cap. 3. pag. 240. uer-
su 19. lege, *uempè à Benjamin, que semper iuncta fuit*
tribui Iudæ, unde reges, & Leui, unde sacerdotes.

FINIS.

BASILEAE APVD IOAN.
FROB. AN. M. D. XXVII.
MEN. MARTIO.

ITER TVRCICVM

- narrat Francisca Deraedt -

Gaius egoque itinera numquam facimus solius delectationis causa : aliquo scopo, aliquo prætextu semper egemus, quo tranquilletur conscientia nostra otio erubescens. Itaque nuper in Turciam profecti sumus investigaturi, num quod seminarium Latinum ibi posset institui.

In Turcia ultimum fuimus anno 1991, occasione maritimi itineris Latini, quod non prope est ut e memoria participum excedat. Nunc autem, duodecim annis post, ad solum Turcicum vix appulsi statim videmus res hic valde, et diversimode, mutatas esse : nam alia ex parte mirantes intramus in modernissimum aeriportum Constantinopoli ante duos annos exstructum, alia ex parte non minus mirantes conspiciamus plurimas mulieres Mahumetano velamine indutas, quæ condicio antea erat multo rarior.

Sed iam eximus ex aeriportu, hominem quærentes qui, ut pactum est cum sede periegetica, nos ducturus est ad deversorium extra urbem situm. Miraculum ! Inter innumeros homines, qui in vestibulo tabulas gestantes quærent advenas, unus nomen nostrum vibrat ! Iter bonis auspiciis incohatur. Paululum hæsitamus, dubitantes qua lingua vir sit alloquendus. Sed ecce ille nos iam Francogallice salutatur - novum miraculum ! Semper iucundum est, in terra aliena, sua lingua appellari ; tibi non iam videris tam longe abesse a patria.

Sumptuoso autocineto ducimur ad deversorium, quod ab urbe sexaginta chiliometris abest, ad occidentem versus. Sic iam partem emetimur itineris crastini, quo Anatoliam sumus petaturi. Cum duce nostro iucunde colloquentes, pervenimus ad deversorium ingens, lautum, sed hoc anni tempore pæne vacuum, quod initio valde placet, postea autem multo minus, cum videmus præcipuam cauponam propter hospitem

paucitatem esse clausam..

Postero die, autocineto conducto, bene mane proficiscimur ad Hellespontum, quo freto Europa separatur ab Asia. Sol nobis aridet, tempestas est serena, litus Propontidis tranquille sequimur. Inopinanter autem viæ substituitur semita salebrosa. De lapide in lapidem nunc lentissime progredimur. Si septingenta chiliometra sic erunt emetienda, non mature perveniemus ad



Turris quadrata (Troia VI)

vicum Kusadasi... Utinam saltem canthi pneumatici resistent. Uni asino, uni equiti, uni gregi caprarum occurrimus. In raris vicis tabaci folia ante domorum ianuas siccantur. Circum circa silvæ, montes, hic illic vineæ, scaphæ piscatoriæ, et iuxta nos mare tranquillum : prospectus est magnificus. Manifesto raro fit, ut autocinetum hac transeat : incolæ ad nos spectant tamquam si de luna descenderemus. Tandem aliquando, post pulcherrimam sed tardissimam ambulationem, in aliquo vico via strata tam improvise redditur, quam ante duas horas surrepta est. Per pineta et oliveta iter pergimus usque ad fretum.

Dum in Asiam traducimur, Gaius in pontone historiam memorat cruentis prælii in Hellesponto anno 1915 facti, quo Francogalli et Angli frustra conati sunt Turcos a Mustafa Kemal ductos devincere - pretio quingentorum milium mortuorum.

Freto transito, Troiam statim petimus. Appropinquantes agros præterimus, quorum cultura nobis non est nota. Ad inspiciendum consistimus. Gossypium est ! Ingentia arva mollibus globulis referta ! Dulce spectaculum.

Troia re vera non multa sunt videnda, præter ridiculum equum ligneum, qui periegetas magis attrahit



Scamandri planities e Troia mænibus conspecta

quam urbis fundamenta ab Henrico Schliemann inventa. Quæ spectantes facere non possumus quin huius loci heroes memoria revocemus, veterem Priamum, Hecubam, fortem Hectorem cum uxore Andromacha et Astyanace filiolo, Paridem, cuius culpa ortum est bellum Troianum. Amor enim pulchræ Helenæ, ut aiunt poetæ, causa fuit ruinæ huius præstantissimæ civitatis. Sed deestne nobis sensus poeticus? Nobis quidem in oculos potius incurrit urbis situs eximius, Hellesponti dominatio, agri fertiles, prosperitas attractiva. At tempus non est cum Homero disputandi: proficiscendum est, si Pergamum videre volumus ante solis occasum.

Tantum properamus, quantum possumus. Sed ecce quos iuxta viam conspicimus manum tollentes? Di boni! Custodes publicos! Nimis celeriter vecti sumus. Gaius licentiam gubernandi præbet, anno 1967 editam; quæ nobis mirantibus exclamations movet: eum quam pulchrum fuisse, cum iuvenis esset! Quam bellum! Quam lepidum! Custodes magis magisque fiunt hilares. Invitabuntne nos mox ad theam sumendam? Tamen non. Nunc agitur de pretio solvendo. Quod, libris Turcicis enuntiatum, ingens videtur, cum pro uno eurone accipiatur unus milio et quingenta milia librarum. Tam divites non sumus, sed eurones habemus, qui grato animo accipiuntur. Postquam dextras iunximus, proficisci licet. At Pergamum hodie non lustrabimus.

Via adhuc longa est usque ad vicum Kusadasi, in quo pernoctaturi sumus. Smyrnæ transitus, imprimis, est difficilis; nam sub vesperum omnes sive domum petunt sive ambulationem suscipiunt, ita ut maxima fiat coacervatio vehiculorum. Tandem aliquando ad locum destinatum advenimus. Ad mensam libenter adsidimus, qui totum diem nihil comederimus. Iucundum est, mense Octobri, sub divo cenam sumere iuxta natabulum, in longinquo spectantes portus luminata. Crastino die longam excursionem faciemus, Aphrodisiadem et Hierapolin lustraturi.

Sicut hesterna cena, ientaculum præbetur sub divo, ante maris nitidum spectaculum. Homines, qui ferias hic degunt, nihil aliud agunt: non nimis mature surgunt, ientaculum tranquille sumunt, mare admirantur. Interea paulatim iam est hora undecima, id est hora propomatis bibendi – quod iterum præbetur apud natabulum, immo in ipso natabulo, in quo ita instructæ sunt sellæ ut in aqua sedens potionem sorbillare possis a ministris allatam, qui illusionem quadam optica videntur vestiti in ipso natabulo procedere. Tum fit prandium, postea meridiatio, deinde, si placet, humectatio natatoria, denique iterum propoma, cena, ultimum poculum. Quantæ qualesque feriæ! Felices sumus,



Ager gossypii

quod non est æstas; nam nunc temporis hospites non satis multi iudicantur quam ut instituantur ludi, exercitationes athleticæ, ballationes aliæque voluptates clamoræ. Facile tamen excogitare possumus, quales hic æstivo tempore sint vitæ consuetudines: totum deversorium, totus vicus, totum litus Ægæum tum fit ingens area lusoria. His perspectis paulatim deponimus propositum seminarii in litore Ægæo apparandi: qui tranquille studere cupiunt in huiusmodi nundinis non habent locum.

Ceterum hodie sumus pulcherrimam excursionem facturi: Aphrodisias enim et Hierapolis dicuntur esse urbes visu dignissimæ. In autocineto, dum Gaius nescio cur cunctantius, quam antea, gubernat, ea lego quæ in « Mystagogo » nostro « Cæruleo » narrantur de Aphrodisiade. Hæc urbs, quæ ducentis fere chiliometris ab Epheso distat ad orientem versus, maxime floruit sæculis I et II p. Chr. n. Eadem, cum fidelis mansisset Romæ, Cæsaris et Augusti tutela fructa est. Religio autem Christiana ibi satis sero allata est. Paulo autem post, initio dominationis Byzantinæ, nomen urbis, quod impudicum videbatur, ita mutatum est ut in futurum vocaretur Σταυρόπολις, « Urbs Crucis ». Atque templum Veneris factum est ecclesia. Sed dum hæc lego interea ecce iam iam appropinquamus... ❧

(continuabitur)

FRAGRANTIA

– fabula romanica a Nicolao Gross in Latinum conversa –

Duæ paginæ, quas lectori hic proponimus, excerptæ sunt e splendidissima fabula Patricii Süskind c.t. « Das Parfum. Die Geschichte eines Mörders » a Nicolao Gross in Latinum conversa. Totius operis translatio Latina post paucos menses simul a Fundatione Melissa et a Museo Erasmiano in lucem edetur.

CAPITVLVM TRICESIMVM

Grenulius aspectu erat horrendo. Eius capilli usque ad poplites erant promissi, barba tenuis usque ad umbilicum. Eius ungues similes erant falculis avium; cutis brachiorum crurumque, quæ pannis non iam obtegebantur, defrustata defluebat.

Primi homines, in quos incidit, agricolæ in aliquo agro prope oppidum Petrifortium laborantes, Grenulii conspectu clamantes aufugerunt. In ipso oppido Grenulius hominum oculos ad se convertit. Sescenti homines confluerunt, ut Grenulium inhiantes aspecarent. Nonnulli eum putaverunt esse captivum galearum fugitivum. Nonnulli dixerunt eum non esse verum hominem, sed mixticium quendam hominis et ursi, genus quoddam animalis silvestris. Quidam vir, qui prius fuerat nauta, contendit illum aspectu esse cuiusdam stirpis feræ Indianorum Caiennæ, quæ viveret ultra Oceanum magnum. Grenulius introductus est apud burgimagistrum. Civibus ibi congregatis mirantibus ostendit testimonium socii fabrilis et ore aperto paucis verbis refractis – nam prima fuerunt verba, quæ edidit post pausam septem annorum – sed satis intelligibiliter narravit se migrantem a prædonibus oppressum et abductum et per septem annos in caverna inclusum esse. Se hoc spatio temporis neque lucem solis neque hominem vidisse, corbe manu invisibili in caliginem demisso esse nutritum et denique scala liberatum esse nescientem, qua de causa, neque umquam se vidisse homines, qui se abduxissent vel servassent. Hanc enim fabellam Grenulius sibi excogitaverat, quia sibi videbatur esse veritate credibilior, qualis profecto erat, nam tales oppressiones raptoræ in Cebennis et in montibus Arvernæ Occitaniæque non raro fiebant. Quacumque ratione burgimagister sine dubio rem curavit notandam deque eventu certiore fecit Marchionem de la Taillade-Espinasse, oppidi Dominum et membrum parlamenti Tolosani.

Qui marchio iam ætate quadraginta annorum a vita Versaliæ aulica aversus recesserat ad bona sua ibique vixit scientiis deditus. Idem scripserat opus magni momenti de œconomia nationali, in quo proposuerat omnia vectigalia fundorum et fructuum agriculturæ abolenda esse, introducenda autem esse vectigalia reci-

proce progressiva, quibus pauperrimi durissime onerati cogentur, ut augerent actiones suas œconomicas. Cuius libelli successu marchio excitatus composuit tractatum de educandis pueris puellisque, quorum ætas esset inter quinque et decem annos, deinde versus est ad tractandam agriculturam experimentalem et conabatur semine taurino in varia genera graminis translato efficere hybridam animalo-vegetabilem, quo lac fabricaretur, genus aliquod floris uberosi. Postquam in initio hæc res ei tam bene successit, ut posset fabricare ipsum caseum lactis graminei, qui ab Academia Scientiarum Lugdunensi diceretur ‘saporis caprini, tamen paulo amarioris’, experimenta ei erant finienda propter sumptus enormes seminis taurini copia hectolitarum agris inspersi. Tamen problematis biologię agrariæ tractatis animus marchionis attractus erat non solum glæba quæ dicitur agraria, sed generaliter terra et ratione, quæ intercedit inter eam et biosphæram. Laboribus practicis floris uberosi creandi vix finitis, idem vigore investigandi infracto incubuit in scribendam tractatiunculam de propinquitate terræ et vi vitali inter se conexas. Thesi sua marchio contendit animal non posse oriri, nisi quadam distantia a terra remotum esset, quia terra ipsa continuo exhalaretur « fluidum letale », ut dixit, quo vis vitalis debilitaretur et serius ocium penitus interiret. Itaque omnia animalia petere crescendo removeri a terra, id est crescere ex eadem, nequaquam in eandem; itaque ab animalibus partes maximi momenti geri versus cælum: a frumento spicam, ab herba florem, ab homine caput; itaque animalia senectute deflexa et ad terram recurvata, necessario gaso letali affligi, in quod post mortem processu dilabendi denique ipsa mutarentur.

Marchio de la Taillade-Espinasse, cum ad aures suas permanasset Petrifortii inventum esse individuum, quod per septem annos in caverna – ergo terræ, id est elemento tabifico penitus inclusum – habitasse, suavissime affectus est. Statim curavit Grenulium ad se in laboratorium suum afferendum, ubi eum suscepit subtiliter perquirendum. Quo facto invenit theoriam suam ad oculos demonstrari: Grenulium fluido letali iam tam vehementer esse afflictum, ut corpus eius viginti quinque annos natum iam insigne esset dilapsione senili. Mortem eius non esse impeditam nisi – sic Taillade-Espinasse explicavit – Grenulio capto adducta esse nutrimenta e plantis apogeis exorta, fortasse panem et fructus. Valetudinem autem priorem non posse restitui nisi fluido subtiliter expulsando, quod fieret apparatu aeris vitalis ventilandi a se ipso, a Taillade-Espinasse, excogitato. Talem apparatus statutum esse in horreo sui palatii Monspeliensis; si

Grenulius paratus esset se offerre obiectum demonstrationis scientificæ, eum a se non solum liberatum iri a contagione gasi terreni desperata, sed etiam accepturum esse aliquantum pecuniæ...

Duabus horis postea in curru sedebant. Via erat salebrosissima, tamen sexaginta quattuor milia passuum usque ad Monspelium permensi sunt vix duobus diebus, quia marchio, quamvis ætate esset provecior, sibi non temperavit, quin ipsissimus verberaret equos atque virum carpentarium necnon repararet manibus propriis temonem et elaterem compluries diffractos; tam vehementer oblectabatur invento mirabili casu scientifico, tam vehementer cupiebat eundem quam celerrime ostentare spectatoribus eruditis. Grenulio autem ne semel quidem licuit carpentum relinquere. Ei mandatum erat, ut sederet panniculis detritis indutus penitus circumvolutus tegmine, quod saturatum erat terra umida lutoque. Esui ei iter facienti data sunt cruda holera radicularia. Marchio enim speravit hoc modo contagionem fluidi terrestris interim conservatum iri quam fidelissime.

Monspelium cum advenisset, marchio statim curavit Grenulium in hypogeum palatii sui ferendum, epistulas invitatorias misit ad omnia membra Facultatis medicinalis, cœtus botanistarum, scholæ agrariæ, consociationis chemo-physicæ, ordinis massonum ceterarumque Societatum doctorum, quales in urbe erant non pauciores quam duodecim. Nonnullis autem diebus post – una ipsa septimana postquam reliquit solitudinem montanam – Grenulius in suggestu in magna aula universitatis Monspeliensis magnæ multitudini ostentatus est ut casus scientificus huius anni omnium mirificentissimus.

Taillade-Espinasse acroasi sua Grenulium dixit quodammodo argumentum vivum, quo comprobaretur theoria terreni fluidi letalis. Dum Grenulio panniculos unum post alium de corpore rapiebat, explicabat, quæ detrimenta perniciosæ corporis Grenulii cepisset gaso tabifico: videri pustulas et cicatrices gaso caustificanti effectas; ibi in pectore ingens carcinoma gasicum lucide rubrum; ubique cutem dilapsam; ipsum skeleton fluido insigniter detortum, quod evidenter appareret pede scauro et dorso gibboso. Præterea organa interna, lienem, iecur, pulmones, fel, tractum digestorium gaso graviter esse afflicta; hoc procul dubio sequi e probato exemplo stercoris, quod omnibus accessibile inveniretur in patina ad pedes animalis demonstrandi. His comprehensis dici posse debilitationem virium vitalium 'fluidi letalis Taillade' contagione septenni effectam iam tantum progressam esse, ut animal demonstrandum – cuius aspectus ceteroquin iam insignis esset

notis talpinis – dicendum esset animal morti potius propinquum quam vitæ. Tamen relatores promittere hunc virum alioquin moriturum effectu therapie ventilationis cum diæta vitali coniunctæ intra spatium octo dierum a se tantopere restitutum iri, ut indicia integræ reconvalescentiæ omnibus facile apparerent, seque ipsum rogare auditores præsentis, ut septimana transacta sibi persuaderent hanc prognosin optime evasisse; quo revera fore, ut theoria fluidi terreni rite ac valide demonstraretur.

Hæc acroasis marchioni successit prosperrime. Auditores enim docti cum vehementer applausissent relatori, sollemniter prætergressi sunt suggestum, in quo constabat Grenulius. Qua erat habitus negligentia conservata vetustisque cicatricibus membrisque detortis, Grenulius profecto se præstitit tam atrociter horribilem, ut ab omnibus haberetur fere dilapsus et insanabiliter perditus, quamvis ipse sibi videretur sat validus et robustus. Nonnulli domini eum more medico excuserunt, membra eius mensuraverunt, os oculosque inspexerunt. Nonnulli eum allocuti interrogaverunt de vita eius cavernaria deque valetudine eius præsentis. Grenulius autem stricte secutus est mandatum marchionis, quo ad tales quæstiones non responderet nisi gestibus inopibus indicaret laryngem suam, ut enuntia-ret eandem quoque iam exesam esse 'fluido letali Taillade'.

Finito hoc conventu scientifico Taillade-Espinasse curavit, ut Grenulius iterum involutus transportaretur domum, in horreum palatii sui subtegalanum. Ibi præsentibus nonnullis doctoribus facultatis medicinalis eum inclusit apparatus aeris vitalis ventilandi, id est compagi tabulis pineis confectæ iuncturisque spissæ, quæ per caminum haustorium longe super tectum eminentem perfluebatur aere superiore gasi letalis experti, qui per valvulam coriaceam in fundo compagis instructam foras evasit. Hoc machinamento operatus est grex ministrorum, qui die noctuque curaverunt, ne quiescerent ventilatra, quibus caminus erat instructus. Dum Grenulius hoc modo circumdabatur fluente aeris semper purganti, semel in hora per aerophracticam foriculam bilaminatam, qua latus compagis instructum erat, Grenulio præbiti sunt cibi diætetici originis a terra remotæ, ius columbinum, pastatæ alaudarum, gizeria anatum volatilium, arboraria poma conditiva, panis e generibus tritici altissime crescentibus, vinum Pyrenæorum, lac camocum, ovarium crum spumosum gallinarum, quæ colebantur in stabulo palatii subtegalano... ❀

DE MIRO PER AERA VEHENDI MODO (III)

- scripsit Gaius Licoppe -

Die 4 m. Augusti a. 1914 incohatum est Europæorum maxime insanum bellum civile. Regentes, qui communem Europæorum sermonem Latinum iam oppresserant, superbiam nationalisticam colebant atque in suo quisque populo tantum odium erga vicinos populos alebant, ut Primum Bellum Mundanum non solum fieret res militum, sed totius populi.


Alia etiam novitas erat in hoc bello : nam post Germanorum impetum in Francogalliam anno 1914 fractum, hostium exercitus constiterunt continuo munitoque limite separati. Quam ob rem nulla incurio ad hostis territorium populandum fieri poterat... terrestribus quidem modis. Machinæ vero volantes, paucis annis ante inventæ, omnem limitem terrestrem ignorabant ! Poteratne fieri ut luctum, perniciem terroremque inferrent inermibus civibus ? Aeroplana tunc nimis parva debiliaque erant, quam ut bombas ferre possent, sed aerostata regibilia a Comite Zeppelin in Germania exstructa ponderosas moles, quales sunt bombæ, transportare valebant.

Nihil tamen in hunc scopum paratum habebant Germani, sed res celeriter mutatæ sunt, regente Petro Strasser, officario classis bellicæ. Qui curavit ut ex fabrica Comitis Zeppelin iam anno 1914 prodirent viginti sex zeppelinia ad usum bellicum aptata. Præsertim Magna Britannia, cuius classis bellicas Germanorum naves in portibus continebat, erat per aera aggredienda, ut comperiret suam classem non esse scutum fidum.

Omnibus paratis, die 10 m. Ianuarii a. 1915 licentia Magnæ Britannia per aera aggrediendæ data est ab imperatore Villoelmo II, qui tamen solum sivit ædificia militaria et portuensia deleri. Tribus diebus post, manus quattuor zeppeliniorum bombis displosivis incendiariisque oneratorum Magnam Britanniam petivit... sed iam medio in itinere zeppelinia in Germaniam redierunt mala tempestate coacta. Ab initio patebat usum zeppeliniorum esse incertum.

Sex diebus post, manus trium zeppeliniorum prima valuit supra litus Magnæ Britannia volare, sed deiectæ bombæ ceciderunt in mediam urbem Yarmouth, ubi quattuor homines necati sunt. Iam manifestum erat scopum electum attingi vix posse. Facilius erat bombas in magnas urbes deiicere. Imperator Vilhelmus II, qui consanguineus erat stirpis in Magna Britannia regnantis, initio non sivit bombas Londinium deiici ; instantibus tamen ducibus, sententiam suam mense maio mutavit.

Zeppeliniorum impetus semper fiebant noctu et tempore novæ lunæ, ne eorum ingens moles reperire-



Dum zeppeliniorum turma Londinium aggreditur, lucis projectoria ea in cælo exquirunt.

tur neve scopus fieret tormentariorum ; ceterum propter cæli intemperiem zeppelinia solum æstivo tempore volabant. Londinium noctu facile reperiebatur ; erat enim ingens area illuminata, quam bombæ non poterant non tangere. Nocte 31 m. Maii a. 1915 zeppelinium LZ38 primum volavit supra Londinium atque, inopinantibus incolis, plus centum bombas deiicit, quæ septem homines necaverunt, triginta quinque vulneraverunt atque quadraginta unum incendia excitaverunt.

Zeppelinia non erant invulnerabilia. Prima clades anno 1915 facta est in cælo Belgico, cum aeroplanum inopinanter aggressum est transiens zeppelinium LZ37 idque telis suis incendit. Omne zeppelinium incensum statim fiebat ingens fax, copia hydrogenii alita, atque in solum lente decidebat ; plerique vectores peribant. Aerinautæ valde timebant igne perire ; quare ei, quorum zeppelinium incendebatur, sæpe malebant se præcipites ad terram deiicere quam in navicella cremari. Ad summam, impetus anni 1915 nullum magni momenti detrimentum Magnæ Britannia attulerunt. Militares tamen duces in Germania spem non deposuerunt ; non solum numerum zeppeliniorum auxerunt, sed a fabrica maiorem aerinavem exstruendam curaverunt.

Anno 1916, Germani statuerunt Magnam Britanniam vehementius impugnare. Perfectum erat maximum zeppelinium 60.000 cubicorum metrorum capax, 195 metra longum atque ad velocitatem 100 chiliometrorum horalium propulsum ; 64 tonnas transpor-

tabat atque ascendere poterat usque ad 4.000 metra. Primus impetus illius anni factus est mense Augusto. Tredecim zeppelinia ad Magnam Britanniam missa sunt ; inter ea erat nova giganteaque aerinavis, quam regebat navarchorum optimus, Mathy nomine. Hic solus Londinium attigit et bombas deiecit ; cetera impedita sunt seu Anglorum cannonibus, seu navigationis erroribus, seu motrorum defectibus.

Impetus enim iam non fiebant sine periculo ; Angli defensionem paraverant ; lucis projectoris cælum scrutabantur atque zeppelinia illuminabant, quibus tela displosiva collineabant tormentarii ; etiam aeroplana circa venabantur. Hæc pericula effugere non poterant zeppelinia nisi ascendebant usque 2500 aut 3000 metra, i.e. ultra cannonum iactum et aeroplanorum maximam altitudinem ; sed inde etiam minus accurate bombas ad scopum mittere valebant.

Mense Septembri impetus factus est quattuor zeppelinis, quorum singula binas bombarum tonnas Londinium deiiciendas transportabant ; inter quas primum fuit bomba displosiva trecentorum chiliogrammatum. Neque tamen Magnæ Britanniae argentariam neque classis bellicæ prætorium attigerunt, sed multos inermes cives necaverunt ; in quadam via septemdecim trucidati sunt una bomba ; ubique incendia ; etiam aliquod cœnautocinetum comburebatur.

Eodem mense novum impetum fecit turma sedecim zeppeliniorum, maxima totius belli. Londinium vero appropinquare magis magisque periculosum fiebat. Aeroplana venatoria tunc tela displosiva mittebant, quorum effectus sine mora fuit optimus. Duo zeppelinia, quæ prima Londinium attigerant et bombas deiicere cœperant, a aeroplanis incensa sunt. Reliqui aeronautæ, cum has ingentes faces perterriti conspicerent, non ausi sunt supra Londinium volare atque zeppelinia domum reduxerunt. Londinienses contra spectaculo duorum zeppeliniorum incensorum valde delectabantur ; dum hi enormes globi ignei de cælo lente decidunt, plausum dabant et cantabant. Sic in dies magis crescebat odium alterius populi in alterum atque augebatur Anglorum bellandi studium.

Hæc clades animum Petri Strasser non fregit. Tribus septimanis post, turma zeppeliniorum Magnam Britanniam iterum petivit, atque iterum fuit clades ; complura zeppelinia deleta sunt, unum ad terram Britannicam appellere debuit, cuius aeronautæ captivi facti sunt. Novus impetus mense Octobri ; turmam undecim zeppeliniorum ducebat navarchus Mathy, qui ipse novo giganteoque zeppelinio vehebatur. Mala tempestate impeditæ, pleræque aeronaves in itinere deerraverunt atque in Germaniam redierunt, bombis non

deiectis. Solus Mathy Londinium recta petere valuit et in urbem bombas spargere, sed, dum conatur cannonum tela displosiva vitare, quattuor aeroplana eum adspexerunt incenderuntque ; Mathy de navicella se præcipitavit ; adhuc leviter respirabat, cum Angli eius corpus invenerunt in solo impressum.

Nauarcho Mathy interfecto, duces militares putabant zeppelinia iam non esse adhibenda in rebus bellicis. Solus Petrus Strasser eis obstinate pergebat confidere. Conficiendas curavit aerinaves aptas ad altius volandum, quæ neque aeroplana neque cannonum tela timerent. Ineunte anno 1917 novum zeppelinium L42 usque ad 5.900 metra ascendit et paulo post L53 usque ad 6.200 metra. Hæc autem facultas tutiora reddebat zeppelinia, sed non commodiora. Aerinaves enim plerumque volabant supra nubes, unde itineris indicia in solo vix reperiri poterant ; præterea supra 3.500 metra, propter aeris pressionis deminutionem, aeronautæ « malum aerium » patiebantur, quod constabat ex aurium tinnitu, vertigine et capitis doloribus vel, si altius, etiam ex acceleratione pulsus et respirationis ; magna lassitudine conficiebantur. Frigus etiam erat terribile : triginta gradus infra zerum, a quo frigore homines crassis vestibus se protegere vix poterant. Frigore non solum aeronautæ damnum capiebant, sed etiam navigationis instrumenta, quæ iam non erant fida.

Anno 1917 nova zeppelinia meliorem fortunam non habuerunt. Propter difficultates supra dictas non semper in summa altitudine volabant, ac tunc aeroplanis facile tangebantur. Bonum exemplum nobis præbet recentissimum zeppelinium L48. Quod mense Iunio



Aerinautæ militares operantur in exigua frigidaque navicella zeppelinii.



*Zeppelinium L20 de via deflexum in aquas
Norvegicas cecidit et fractum est.*

primum Magnam Britanniam petivit atque, bombis supra regionem Harwich deiectis, in Germaniam rediit... sive potius eius navarchus putavit se in Germaniæ directionem iter facere ; nam non animadverterat versorium nauticum propter gelu iam non moveri. Re vera ad septentrionem versus volabat, sed, cum se nunc tutum crederet, ad altitudinem 4.000 metrorum descendere iussit. Inscius autem Britannicum territorium supervolabat ; aeroplana zeppelinium sine mora persecuti sunt atque incenderunt. Duo tantum ex aerinautis vivi e confracta comburentique structura se extrahere potuerunt.


Impetus, quem Angli « silentem impetum » postea vocaverunt, factus est mense Octobri ; undecim zeppelinia Magnam Britanniam tanta altitudine petiverunt, ut in solo motorum strepitus non audiretur. Eis Petrus Strasser mandaverat ut fabricas in media Magna Britannia sitas delerent, sed iterum deceptus est ; nam antequam illuc pervenerunt, vehemens ventus ortus est, qui aerinaves ad meridiem inexorabiliter reppulit. Tantum deerraverunt, ut una ex eis, cum navarchus putaret se bombas Birminghamiam deiicere, re vera Atrebatum regionem in Francogallia supervolaret ! Aerinautæ, Francogalliam inscii transeuntes, ictus cannonum impetusque aeroplanorum obstupefacti passi sunt. Quinque ex undecim zeppelinis deleta sunt.

Etiam anno 1918 Petrus Strasser non desperabat fore ut Magnæ Britannix vastatorium ictum inferret. Mense Augusto, ipse, novo zeppelinio L70 vectus, Magnam Britanniam petivit. Hæc aerinavis, 210 metra longa ac 62.100 cubicorum metrorum capax, volare poterat usque ad altitudinem 6.900 metrorum atque tres tonnas semis bombarum auferre valebat ; fabrica Maybach eius

motra aptaverat ut operarentur in magna altitudine et ad celeritatem 130 chiliometrorum horalium propellerentur. Petrus Strasser profectus est quattuor aliis zeppelinis comitatus. Navigabat altitudine 5.000 metrorum, non dubitans se ibi ab hostibus tutum esse. Aeroplana vero ab initio belli magnos progressus etiam fecerant. Britannicum aeroplanum « De Havilland DH4 » usque 4.900 metra ascendere valuit, unde in zeppelinii L70 partem posticam tela displosiva misit ; statim incensa, aerinavis decidit omnesque aerinautæ perierunt ; Angli corpus Petri Strasser invenerunt idque in mare immerserunt.

Mors Petri Strasser etiam fuit finis zeppeliniorum usus bellici. Eis, qui putaverant Magnam Britanniam solis zeppelinis vinci posse, fatendum erat nullum magni momenti detrimentum Anglis factum esse post ducentas circiter bombarum tonnas sparsas ; quinquaginta uno impetibus in Magnam Britanniam factis, 577 homines tantum necati erant et 1358 vulnerati. Contra, dimidia fere pars Germanorum aerinautarum perierat atque ex 128 zeppelinis exstructis 78 destructa erant variis de causis... ❖

(continuabitur)



Incensum zeppelinium, dum in terram decidit, aspectum præbet ingentis facis.

In hoc fasciculo !

- Inæstimabilis libertas* [G. Licoppe] p. 1
De itinere Europæo Ioannis Guilelmi [N. Thiel] p. 2
De methodo Ørbergiana [S. Rocca] p. 5
Cambosia (IV) [A. Vanautgaerden] p. 6
Flosculi Erasmi (II) [A. Vanautgaerden] p. 8
Iter Turcicum [F. Deraedt] p. 10
Fragrantia [N. Gross] p. 12
De miro per aera vehendi modo (III) [G. Licoppe] p. 14
-



FASCICVLI MELISSÆ CONSPECTVS ANNI 2003

- II2 G. Licoppe, De Latino hymno Europæo
G. Licoppe, Res argentariæ, quales Medio Ævo fuerint
Th. Sacré, Inedita Hieronymi Bononii epigrammata (I)
A. Ricius, Orsa Cordis
F. Deraedt, Navigatio Sancti Brendani (III)
- II3 G. Licoppe, Turcia qualis sit
E. Palmén, Latinitas et ceteræ linguæ Unionis Europææ (I)
Th. Sacré, Inedita Hieronymi Bononii epigrammata (II)
F.P. Barone, De globalismo
F. Deraedt, Navigatio Sancti Brendani (IV)
B.R. Bishop, Litteræ hodiernis iuuenibus adaptantur
- II4 G. Licoppe, Responsum ad amicum Americanum
E. Palmén, Latinitas et ceteræ linguæ Unionis Europææ (II)
E. Palmén, Raptim huc devertisti... !
A. Vanautgaerden, Cambosia (I)
Th. Sacré, Inedita Hieronymi Bononii epigrammata (III)
G. Licoppe, De renovata Brendani navigatione (I)
F. Deraedt, Navigatio Sancti Brendani (V)
- II5 F. Deraedt, Lingua Latina in Museo Erasmi per se illustrata
G. Licoppe, recordatio æstiva
G. Licoppe, De renovata Brendani navigatione (II)
A. Vanautgaerden, Cambosia (II)
V. Jenniges, Austria quid in Asiæ antiquitatibus Latine describendis contulerit
A. Vanautgaerden, Flosculi Erasmi (I)
G. Licoppe, De miro per aera vehendi modo (I)
- II6 G. Licoppe, De renovata Brendani navigatione (III)
N. Bazzi, E. di Napoli, A. Forgeschi, De tabernis Florentinis
A. Vanautgaerden, Cambosia (III)
Th. Sacré, Recentissima Latinitatis academicæ specimina
S. Tekieli, De Eliezere Ben Yehuda
G. Licoppe, De miro per aera vehendi modo (II)
- II7 G. Licoppe, Inæstimabilis libertas
N. Thiel, De itinere Europæo Ioannis Guilelmi
S. Rocca, De methodo Ørbergiana
A. Vanautgaerden, Cambosia (IV)
A. Vanautgaerden, Flosculi Erasmi (II)
F. Deraedt, Iter Turcicum (I)
N. Gross, Fragrantia
G. Licoppe, De miro per aera vehendi modo (III)